

MACHINA  
NOVÆ  
FAVSTI VERANTII  
siceni.

Restaurato da  
Edoardo Mori  
per il sito  
[www.mori.bz.it](http://www.mori.bz.it)



# DECLARATIO MACHINARVM.

**E**A M partem Architecturæ, qvæ de Machinis agit, pleriq; potiorem posuerunt; majori enim acumine ingenij eam perfici yudicarunt. Sed si tantæ laudis est, earum Machinarum qvæ yam olim in usu sunt, artem callere: qvid erit, novas post tot secula, & qvidem non parvo numero, in medium protulisse? Nihilominus tamen scio, homines ita esse affectos, ut mayor pars eorum, qvi has meas Machinas viderint, imò ij ipsi qvi antequam eas vidissent, catalogum earū legerant, & mirificas esse censuerunt: postea spernent, & pro vulgaribus habebunt. Cur igitur tantum operis, & impensarum, in eis describendis consumpsit; vt nempè mihi metipsi, & ijs paucis, qvi eas aliquid esse putaverint, satisfacerem. Priorēs petens, ut qvas in promptū habent, meliores proferant, vel in posteruna comminiscantur, qvò istis reiectis, illis utamur.

## I. V R B I S R O M A E D I L V V I V M.

**S**AEPIVS mecum ipse cogitavi, sed & ab alijs sciscitatus sum, neq; tamen usq; huc asseqvi potui, qvi factum sit, qvòd quum Romani Principes, nullas quantumvis magnas impensas, sive qvæ ad privata, sive qvæ ad publica Vrbis cōmoda & ornamenta spectant, reformidarint; neq; ve periti eis Architecti defuerint; Tiberis tamen alluviones, qvæ magna sēpius, & pericula & daimna eis intulerunt, reprimere non potuerint. Nam qvòd voluerint; nemini dubium fuerit, qvi eorum historias leget. Nullus igitur modus invenietur Tiberi frena impone-re, ne tam ferociter per Vrbem grāsetur? Sed fortè sumptus deerunt? Non sunt qvidem tantæ hoc tempore Romanorum opes, qvantæ olim, florente & per orbem terrarum longè lateq; diffuso imperio fuerant: at tantæ certæ, qvæ abunde sufficiant, & ad hæc & ad alia Vrbis commoda. Nunqvid periti Architecti? At multi etiam hoc nostro ævo, multa hac de re & voce & scriptis prodiderunt. Ex qvibus tamen sunt aliqui, qvorum opinionibus non possim assentiri. Alij enim eorum, per infimam vallem Inferni, alij verò per summos Cœlij coles extra urbē, partem Tiberis deducere yellent: qvibus vix ipsæ Cresi divitiæ sufficerent. Nō recensēbo

censebo hic, qvid tam antiqui quām præsentes moliti sint, vt Tiberim, adhuc longè ab urbe fluentem, positis molibus, ne totus in Urbem feratur, reprimerent, & alio averterent. Ego cum illis sentio, qvi totum hoc negotium, circa Urbem, non adeò magnis impensis, perfici posse censuerunt. Vt hoc demonstremus, causæ huyus Inundationis, prius cognoscendæ erunt. Earum duæ sunt præcipue: Vna est, qvod Alveus, multis ædificijs occupatus sit. Sunt enim Pontes in primis publici, deinde privati, qvi Molis deserviunt, sunt multa rudera quæ aquam ne libere defluat, mirum in modum retardant. Hoc loco mirari libet, qvō yudicio, illi veteres Architecti, in ædificandis illis Pontibus usi sint. Non animadvertebant, se tertiam partem alvei Pilis Pontium occupare: ideoq; oportuisse saltem tantum, ipsum alveum ijsdem locis dilatare. Sed præter alios qvid dicam de illo Ponte, qvi nunc S. Mariæ dicitur, & non ita pridem, insigni illa Clementis Octavi inundatione cecidit. Non dubium quin pluries olim cœciderit, ac imposternum si reædificetur casurus sit? Nam positus in confluente, quem insula superior efficit, alteram partem fluminis obliquam excipit, quæ in magnis exundationibus, Pilas secundum earum latitudinem ingenti impetu quatiens, necessariò deycriet. Altera causa est, qvod tribus magnis flexibus, fluvius circa Urbem, veluti in spiram agatur, quæ itidem eum ne rectus in mare feratur impediunt. His malis (dicant qvidq; velint alij) hac ratione providendum existimo; In primis in ijs tribus anfractibus, tres Fossæ recta linea deducendæ erunt. Prima à S. Andrea usque ad dexteram partem Arcis. S. Angeli, altera à Ponte Sixti, ferè usq; ad Portam Portuensem; tertia medio circiter itinere, qvod ab Urbe ad mare deducit; ibi enim est illud tertium diverticulum. Deinde dilatandus est Alveus, eo loco qvo Hortus Farnesiorum est, usque ad Columbarium; & consequenter demoliendæ illæ domus, quæ ab ipso Horto, usq; ad Pontem Sixti, fecus ripam positæ sunt, & bonam partem eyus Pontis occupant. Tertiò tollendi Pontes Molarum lapidei, & loco eorum sublicijs ponendi. Essent etiam alia quædam, quæ ad rem faciunt; at quum in eo statu qvo nunc sunt, mansura teneam, plura addere piget: sufficiat tantum indulisse genio, & ijs qvi huyusmodi speculatibus delectantur, materiam differendi subministrasse.

## II. FONTES VENETIARVM.

**N**ON est Urbs toto orbæ terrarum, quæ Venetijs comparari possit. Nam præter cœtera, in medio mari posita, terra atq; aqua vndequevaq; pervia est; deinde tot, tantisq; tam publicis quam privatis ædificijs, ita ornata, ut nulla alia. Adeò vt nihil ei, vel ad splendorem vel ad magnificentiam deesse videatur, præter Fontes aquarum dulcium salientium, cuyusmodi multæ Urbes in continenti positæ habere solent. At hoc haec tenus fieri non posse visum fuit, & ideo à milie & ducentis circiter annis, hoc est, ab eo tempore, qvo condita est Urbs, hac commoditate, & hoc ornamento caruit. Ego quum diu multumq; ea de re cogitassem, invenisse me rationem reputo, qva sublato omni impedimento, comodè

modè id fieri possit. Neq; adeò qvidem magnis impensis, qvales Romani olim faciebant; sed præterea talibus, qvæ neq; Reipublicæ, neq; priuatis ullum gravamen afferrent. Audio fuisse qvostdam, qvi hanc rem in medium produxerint, sed irrito successu, nescio an eorum vitio, qvi proponebant, an verò eorum, qvi ea quæ proponebantur, non capiebant, & sua imaginatione fallebantur. Hoc scio, huic meo in vento, nihil cum ratione opponi posse. At qvia multorum præyudicio, ita cunctis ferè persuasum est, rem meam tacitus in sinu meo fovebo.

**Q**VIN & aliam rem, non minoris momenti, me invenisse teneo, qvo nem pè modo, & Venetijs & alijs quibuscunque locis, Frumenta in multos annos, ab incendio & humiditate, illæsa ac incorrupta conserventur. Hoc inventum tale est, vt cum non nisi Principibus, qvi publicum bonum qværunt conveniat, caveri facile possit, ne privati eo in perniciem plebis uti valeant.

### III. PONTES VIENNAE AVSTRIAE.

**I**N regionibus, qvæ sunt ad Septentrionem, ferè omnia Flumina hieme quotannis glatie concrescunt, adeò firma, vt & curribus gravissimis, & exercitibus, securum transitum præbeant. Vere deinde imminentे, soluta calore, magno impetu feruntur, adeò ut qvæq; obvia perfringant, & secum trahant. Presertim Pontes ligneos, ad qyorum restaurationem, & multo tempore, & multis impensis opus est, magno accolatum ac commeantium damno ac incommodo. Est mihi amicus, qvi huic malo si invocetur, providere possit. Hoc est, efficerne vel glaciei, vel cuyusvis alterius magnæ molis impetus, Pontes ligneos deyiciat, sed inconcussi, ac stabiles permaneant, donec ipsa materia tempore solvatur.

### IV. ECCLESIA SIBENICI.

**H**AEC Ecclesia non est meæ inventionis: nam ante centum qvinquaginta annos exstructa fuit. At qvia pulcherrimæ ac inuisitate formæ est: eam hoc loco, inter mea inventa, Patriæ meæ ornamentum ponere placuit. Nam præter qvod, absq; ulla materia linea constet; testudinem ipsam, non ut reliqua Tempa, ex lateribus fornicatam habet, sed tota ingentibus lapidibus sectis, secundum longitudinem positis, tecta est, qvi tam ab interiori, quam ab exteriori parte, ijdem conspicui sunt. Reliqua delineatio demonstrabit.

### V. IDEATEMPLI.

**M**VLT A per orbem Christianorum Tempa, tam sumtuum magnitudine, quam ingenij artifitio insignia, passim erecta conspiciuntur. At vix aliquod (uti mea fert opinio) qvod omnibus suis partibus ritè dispositis, & in unū corpus compactis constet. Nam qvis negaverit Campanilia, ac Sacristias, esse partes

partes Templi ? At in primis ista Campanilia, vel ab una parte Templis applicantur, & sic ipsum Templum, uti corpus altero brachio mancum appetet ; vel omnino separata constituuntur . Sacristerie verò plerumq; postquam iam Templis ultima manus est imposita, eis applicantur . Solent etiam ut plurimum in Italia , à privatis familijs , & mayora & minora facella Templis adyungi , qvæ uti qvædam tubera, ex corpore male fano ennata apparent . Tertium vicium in extruendis hucusmodi Templis reputo, qvod totam molem muri, qva media navis est, in altum erigunt, & paucis columnis imponunt : duo verò latera Templi, qvæ ex solidō muro constant, depresso relinquent . Columnæ autem illæ , in medio Templi positæ, magno impedimento sunt . Quartum, qvod Templa testudinata , ab exteriori parte, magnis Pilis fulciunt ; qvæ omnia ingratum intuentibus aspectū reddunt . Hæc & alia in ijs notavi , qvæ milii non arrident : ideo hanc formam Templi commentus sum , qvæ omnibus suis membris , in unum corpus comparetis , ac suis locis affabré collocatis, tam ab exteriori qvā ab interiori parte, sibi similis appareat . Nam in primis loco Turrium habet hoc nostrum Templus in ipsa Fronte, Arcus seu Fenestras, qvæ & ad ornamentum, & ad recipiendas plurimas Campanas deserviunt . Et sic sumitus illi, qvi in extruendis eyusmodi Turribus impenduntur, in dimidiā ferè Templi ædificandi partem cōverti possunt . Sacristerias habet tres, à tribus lateribus Aræ maximæ, sub testudine Porticus positæ : qvæ præter cœtera plebem, ne circa Aram vagari , & Sacerdotes sacris operantes turbare possit, opportunè arceant . Circundatur deinde ab interiori parte totum corpus Templi Porticibus, ex primò illas Pilas qvibus ipsa Templi testudo sustinetur, intra se absconditas habent ; deinde efficiunt , vt duplo mayorem populat hoc nostrum Templus capiat, qvā aliud eyusdem magnitudinis capere possit . Præterea ut honoratores Viri ac Mulieres, in superiore parte positi , à plebe separati sint . Est alia Porticus magna, in ipsa facie Templi forinsecus aperita, qvæ pro vestibulo deservit . Habet à duobus lateribus singulas Portas, per qvas illi Nobiliores , ad illas interiores Porticus descendant, nec opus sit eis per medium turbam qvæ in Templo est transire . Quintò, multis Fenestris , ac Coronibus hoc nostrum Templus, totum est cinctum , ita ut yucundissimum aspectum intuentibus præbeat . Sed fortè nimis multa in re propria ? ita comparati sumus , attamen totum hoc ijs qvi hucusmodi artis sunt peritiores submitto.

## VI. HOROLOGIVM IGNEVM, AQVEVM, SOLARE.

**H**I C tibi Lector tria Horologia exhibeo, unum qvod Igne , alterum qvod Aqva , tertium qvod Sole operatur . Priora duo ab alijs accepi . Igneum constat ex Funiculo, qvo solent uti sclopetaij . Funiculus à superiori parte dependet, & ab inferiori parte acceditur ; & divisus in tot partes , qvot horas possit durare, singulis spacijs lapillus alligatur, qvi cum ignis ad eum pervenerit, cadit in pelvis suppositam, & sic sonum edens, admonet horam effluxisse . Si apponas Candellam vicinam, & à Funiculo ad Candellam filum sulfure tintum extendas ;

das; ea hora ad cuius signum illud applicaveris; accendet ipsam candellam, ideoque pro excitatorio eo commodè uti poteris. Nam primò qvidem Candellam accendet, postea te excitabit. Tertium Horologium est Solare, & constat ex duobus Circulis, quorum unus est divisus in 24. horas, alter in 90. Gradus: intra quos positus est Zodiacus: uterque autem Circulus, habet filum per diametrum extensem pro umbra alterius Circuli.

### VII. HORLOGIVM VNIUERSALE.

**H**O C est illud Horologium nostrum Solare, quod in ptiore tabella, duabus circulis in plano delineauimus: hic autem erectum, & simul compositum tibi exhibemus. Circuli enim sunt per transversum alter alteri in Crucem inserti. Unum filum in altero Circulo Horas ostendit, alterum in altero, hoc est in Zodiaco, & Menses & Dies ipsos, sed tantum meridianis horis demonstrat. Hoc Horologium ubi cunctis terrarum sis deserviet tibi, modo aptes illud, ad eum Gradum longitudinis & latitudinis in quo constitutus fueris.

### VII. MOLA FERREA PORTATILIS.

**H**AEC Mola manuaria, est multò commodior, quam ea quæ hactenus visa est. Nam mayore vi vertitur, & potest maior, ac minor esse, ut ab uno vel à pluribus operarijs agitetur: Hucus usus in Castris esse potest.

### VIII. MOLAE QVÆ VENTIS MOVENTVR.

**M**OLAE Machinæ quæ Vento impulse Molas vertunt, quæque hactenus in usu sunt; omnes eandem formam habent. Sed non sunt commodè, habent enim Axem in plano positum, qui sepius huc & illuc, prout Ventus mutatur, vertendus sit; & sic necesse est, ut tota etiam Moletrina sit versatilis, & uno innitatur cardini. Deinde Molæ, ipsæ in suprema parte, hoc est, loco sua natura contrario ponuntur: Nos modum adinvenimus, quo Moletrinæ nostræ sint stabiles & formæ; & nihilominus Ventus undecunq; veniat, sit propitius eis atque commodus; neque ad excipiendum eum, ulla nova cura sit opus. Nam Axem in cœlum erectum habent; Alas autem seu Brachia, ita adaptata, ut ab uno latere Ventum excipient, ab altero vacuum dimittant. Præterea hoc habet amplius nostra Inventio, quod licet Molæ nostræ in summitate Turrium altissimarum Vento moveantur; ipsæ tamen in infima parte positæ sint; Et quidem plures numero, prout Ventus validior fuerit. Hucusmodi Machinarum aliquot modos hinc tibi describemus.

VIII. *MOLÆ VELIS ACTÆ.*

**P**RIMAE sunt, qvæ Malum seu Axem, uti diximus, habent erectum, cui per transversum duplices Antennæ sunt affixa. Hæ in extrema sui parte habent quasdam Valvas, qvibus vela sunt extensa, Ipsæ autem Cardinibus innixa, sunt versatiles & ita dispositæ, ut ab una parte Axis Vento renitantur, ab altera verò cœdant.

IX. *MOLÆ CVM BRACHIIS TRIANGVLARIBVS.*

**H**AE Molæ habent similiter Axem in cœlum erectum, & uti dicitur in cultrum positum, cui quatuor Brachia in Crucem sunt affixa. Ipsa autem singula, in triangulum ex tabulis construeta: qvæ simili ratione ab una parte Axis, Vento angulum acutum vertunt, ut Ventus in cassum abeat, ab altera verò sunt aperta, ut Ventum excipient.

X. *MOLÆ CVM VALVIS MOBILIBVS.*

**H**I sunt duo alij modi ventum excipiendi, cum Valvis mobilibus, sed & plures his similes dari possunt.

XI. *MOLÆ CUM TECTO MOBILI.*

**H**AE Molæ in Turri circumaguntur ab tecto ipsius Turris, qvod divisunt in plures Valvas aliquantum incurvas, & intra duo tabulata inclusas; ab una parte Ventum excipit, ab altera verò vacuum dimittit.

XII. *MOLÆ TVRRIS QVADRATÆ.*

**I**STAE verò Molæ, in Turri quadrata posita, moventur ab Axe, qvod in altum in medio Turris erectum, habet quatuor seu plures, Alas ex tabulis compactas. Hæ à Vento impelluntur, qui per Fenestras ipsius Turris ingreditur. Fenestræ autem, una è regione alterius sunt positæ, ut per unam ingrediatur, per alteram verò exeat Ventus. Aliæ duæ Fenestræ, qvæ erunt ociosæ, poterunt claudi, ut Ventus majori vi per apertas feratur.

XIII. *MOLÆ TVRRIS ROTVNDÆ.*

**H**AE Molæ, per omnia ita sunt dispositæ, ut præcedentes. Turris autem ista est Rotunda, & in superiore sui parte, à lateribus, ubi alas suas Axis habet, tota aperta, sed tantum parietibus divisa in Fenestras, qvæ in obliquum sunt positæ, ut Ventus non rectâ, sed per obliquum in Turrim intret, & sic alas Axis impellat.

pellat. Hæc Machina hoc habet singulare, ut si omnes Venti, simul in eam ferrari possent; nullum impedimentum, sed potius commodum sentiret. Hactenus de Molis Vento motis, nunc de ijs qvæ Aqvis impelluntur.

### XIII. *MOLAE RIUVLO RVM.*

**S**VNT multis in locis ita patvi Rivuli & depresso, ut non possint impellere Molas. Itaq; ut altiore casu Aqva defluat, excogitavimus excavare fossam sub Rota in ipso alveo, eamq; ita deprimere, ut qvarta eyus pars, in rivulo sit demersa. Yudicavimus enim hoc nihil impedire, qvò minus etiam in aqva volvatur. At magis expediet huyvsmodi Rivulum altiore aggere reprimere, ut Lacum efficiat, ex qvo postea Aqva per aliquot horas aggregata, aperto lacu per emissarios decurrat, & ab inferiore parte Rotam tangat; sic enim mayore spacio, & ideo etiam mayore impetu feretur.

### XV. *MOLAE IN MEDIO FLVMINE CONSTITVTÆ.*

**S**OLEN T plerunq; Molæ in Ripis Fluminum ponî, qvibus quandoq; Aqva deficit quandoq; nimium abundat, utrumq; impedit opus Molarum. Huic incommodo sic prouidere volui, statui eas medio Flumine sublicis imponere, ubi nempe sit eyus cursus rapidissimus; id autem commode fieri posset, profè aliquem Pontem: Machinam qvæ Molas impellat, in ipsum Flumen totam demergere, ea autem ita sit constituta, ut Alis suis versatilibus, ab uno laterc Aqvā excipiat, ab altero verò dimittat: & sic nullo tempore Molæ qviescant, sed semper operentur, sive parva sive magna Aqva fuerit.

### XVI. *MOLAE AD RUPEM APPENSE.*

**E**RIT aliquid locus, vbi Flumen ad aliquem montem allidatur, ibiq; maximum impetum faciat. Ad eyusmodi Rupem, apprendimus nostras Molæ, demisso Axe cum alis suis, qui à tribus trabibus sustinebitur, si forte usq; ad iundum ob altitudinem pertingere neqvæat, quanvis altera trabe addita Axis longior effici possit.

### XVII. *MOLAE IN FRETO MARIS POSITÆ.*

**Q**VIS potuit hactenus, Mari yugum imponere, ut Molas verset, & alia qvæ Motu perficiuntur faciat? Hoc nos fieri posse, non tamen ubique, sed in fretis & locis angustis existimamus. Cavendum modò est, ne locus sit aperitus & fluctibus expositus. Est aliud modus qvo possimus itidem opera Maris uti. Effodiendus est Lacus ad littus, ea altitudine ad qvam Mare excrescere solet, ut dum resta-

dum restagnat, lacum replete cum vero decreverit, aqua e lacu per emissarios effluat, atque Molas impellat. Hoc commodius ad Oceanum, propter mayores eius fluxus & refluxus fieri poterit. Est autem mihi nuper ab amico suggestum.

### XVIII. *MOLAE DVOBVS PONTONIBVS IMPOSITAE.*

**M**OLAE quae Pontonibus solent imponi, alterum Pontonem minorem habent, qui alteram partem Axis sustineat. Quid prohibet eum alteri aequalem magnitudine facere, & alteras ei Molas imponere, ut tantundem operis faciant? His Pontones in Hungaria in Danubio, solent funibus ex virgis Salignis contextis, ad trabem in medio flumine depectam religari, & sic Anchoris, & Catenis ferreis non indigent, neque funibus.

### XIX. *MOLAE VNI PONTONI IMPOSITAE.*

**A**T multo commodior hæc altera Forma est. Nam hæc una Navigi, tandem Molas solidius sustinebit. Imò etiam plures poterit sustinere, si alter in prora axis addatur, & ipsa navis sit tantæ magnitudinis, quanta sit potens tantum onus sustinere. Neque molibus quæ per flumina defluere solent, ita est obnoxia: Trabibus etenim in anteriore parte in triangulum dispositis, Rotæ quæ ab utraque parte navis sunt, tutæ redduntur, ne possint confringi, velcum ipsa Navi abripi.

### XX. *ROTA AQVATILIS.*

**H**AEC Rota Aqvatalis, ita est constituta, ut sive in cultrum ponatur, sive in planum, deinde sive vna sui parte Aqvam contingat, sive tota sit submersa; ritè suo officio fungatur. Hoc efficiunt cardines, qui valvas versatiles reddunt. Facimus autem Cruces duplices, quæ Rotam hanc sustineant, per quas trayicimus Axem quadratum, non valde crassum. Idque præter communem usum: nam alij perforant suos Axes, & per illa foramina trayiciunt tigna, quæ Rotas sustineant, ad quod opus crassissimis Axibus opus habent, ne illa foramina findantur, sed nec sic securi, præterea crastio ferro pluribus locis cingunt. Hactenus de Molis Aqvaticis.

### XXI. *MOLAE ASINARIAE.*

**M**OLAE Asinariæ dictæ sunt ab Asini, quia ab eis in Italia ac Græcia impelluntur. At in alijs regionibus, ubi nulli sunt Asini, commodè Equis sive Bobus agentur, hæc enim animalia mayorum sunt virium. Sunt & alij modi; nobis hic unus, quem magis expeditum esse putavimus, sufficit.

*MOLAE*

XXII. *MOLAE CVM PONDERIBVS.*

**H**A E Molæ ab uno vel duobus hominibus impelluntur. Magnam autem vim adunt Pondera, qvæ in quatuor extremitatibus Crucis appenduntur. Potius loco Crucis Rotam ponere, & ei Pondus addere. Sed Crux minoris operis est, & idem prestat. Si quis Ponderibus scitè vtatur, mira faciet.

XXIII. *MOLAE CVM ROTA CALCATORIA.*

**H**A E C nostra Rota calcatoria, fere per omnia similis est ijs, qvæ iam olim in vsu sunt. At siqvis benè animadvertis, longe facilius vertitur. Hoc autem efficit locus Potentiarum, hoc est, situs in quo consistunt homines qui eam movent. Nam in illa operarij in inferiore & interiore parte eyus ambulant, in nostra autem, ad medium Rotam, ab exteriori parte consistunt. Quantò hi illis præponderent, non est opus Mathematicis demonstrationibus ostendere, id enim etiam illarum ignaris, ad oculum patet. Huyus Rotæ novum motum nos invenisse gratulamur, nusquam enim id hactenus vidimus aut audiuimus, quæ non solum in Molis agendis, sed in alijs quoq; operibus, magno potest esse commodo.

XXIV. *MOLA OLEARIA:*

**H**AEC Rota utilis erit in Trapetis, quibus oleum solet exprimi. Qvod enim more consueto, Mola ad Axem in cultvum applicata, & in Orbem à yumento acta efficit; hoc multò commodius hæc nostra Mola, hominibus huyusmodi Rotam calcantibus efficiet. Illa enim obliquè, hæc rectè fertur.

XXV. *TORCULAR PRO VINO ET OLEO:*

**S**OIENT ordinariè Præla confici, ex magnis Trabibus, Vitibus, ac Cocleis, qvibus opera hominum, pro ut sunt mayorum seu minorum virium, plus aut minus exprimitur. Hoc nostrum Prælum, Trocleam habet multiplicem, qva unus homo, magnæ molis Lapidem Sucula in altum elevet, & postea pedentim demittat. Lapis autem suo pondere id efficiet, quod plures homines, suis viribus minimè possint. Addidimus Furculam, quæ Rotam si forte scitala ex manibus operiorum excidat, retrocedere non permittat.

XXVI. *MODVS FALCANDI FRUMENTVM.*

**S**I Frumenta metantur Falce qva Fœnum falcatur; unus homo plus operis faciet quam decem alij, qui illa parva Falce solito modo utentur. At dicet C qvispiam,

quispiam, multum seminis, illa falcis mayoris concussione in terram casum. Ego antem dico, Non adeò multum; sed rem magni compendij futuram, etiam si qvippiam cadat. Hoc autem facto experimento poterit cognosci.

#### XXVI. *MODVS EXCVTIENDI FRVMENTI.*

**P**OSTQVAM Defalcatum est Frumentum, & in manipulos colligatum, cum super uno truncō, lata securi desecandæ sunt Spicæ, relictis integris manipulis. Qvæ deinceps vel unguis yumentorum vel fustibus, more consueto contrendæ erunt. Et sic stramenta integra manebunt: Spicæ autem solæ facilius excutientur. Si qvæ Spica, in interiori parte manipuli manferit, non erit magno detrimento, si operis compendium consideraveris. Alioquin etiam solito more, satis multæ Spicæ in stramentis inconcusse remanent.

#### XXVII. *MODUS PVRGANDI FRVMENTI.*

**M**AGNO etiam compendio, & commodo, potest purgari Frumentum, si aqua lavetur, melius inquam pulvis. Aqua eluetur, qvam cribro excutietur. Lavabitur autem sive in Flumine, sive in Fonte effluente, sive in Cadis plenis aqua. Instrumenta poterunt esse: ipsum cribrum, fiscella, canistrum; vel aliquid simile, qvod Aquam emittat. Deinde velis in prato extensis Frumentum inyectum, Sole exsiccatur parvo tempore.

#### XXVIII. *MODUS CRIBRANDI FRVMENTI.*

**E**ST alius Modus Purgandi Frumenti, quem in Germania vidi. Artificiosus certè, & ideo eum hoc loco ponere volui. Nam Frumentum inanime perfè movetur & purgatur, in magna quantitate, presertim si plura Instrumenta hujusmodi adsint, qvale hic delineatum vides.

#### XXIX. *MODVS SVBCERNENDI FARINAM.*

**I**N Italia, tota die laborant Pistores, ut Farinam à Furfuribus secernant; in Germania vero eodem tempore quo Frumentum molitur; statim ut est in Farinam redactum, à Molis cadit in Subcerniculum, subcerniculum autem uno bacillo alligatum est; bacillus à tribus vel quatuor denticulis, qvi colo vel Laternæ vectis ferrei inserti sunt, concutitur. Et sic pura Farina in capsam, Furfures autem extra capsam cadent.

XXIX. *MODVS TVNDENDI PTISANAM, &c.*

**H**ORDEVM. In Italia nesciunt benè à cortice emundare, idq; magno labore faciunt. Nam Pistillum qvoutuntur, nimium latum est, & magis aptum ad contundenda Grana Hordei seu Farris, qvam decorticanda. Nos facimus Pistilla acuminata, sed à lateribus undiq; claviculis quadratis confixa ; & sic Grana illis claviculis acutis optimè decorticantur. Hæc autem Pistilla, duobus modis aguntur ; vel Homine Axem ab vna parte movente, ab altera verò parte Ponderibus adyuvantibus : vel suspenso Pistillo ad Perticam, qvæ Homine attrahente incurvatur, ac Pistillum deorsum demitteit, remissa verò Pistillum sua vi in altum retrahit. Modus facillimus Pondus elevandi , & non novus, attamen (qvod miror) valde inusitatus.

XXIX. *MOLA TRVSATILIS.*

**E**ST alius qvoq; modus decorticandi Hordei Mola trusatili. Sed superior Molis suspendenda est si sit gravis, ne Grana conterat. Hoc idem fieri potest Molis, quæ Fluminum impetu aguntur . Possunt deniq; alijs modis , claculi vel ad Tabellam vel ad Rotam affigi, qvibus agitatum Hordeum, purum à Cortice redatur. Hactenus de Molis.

XXX. *PONS DVARVM TRABIVM.*

**Y**A M nunc agemus de Pontibus, qvi nullis in Flumine falcimentis positis sustineantur, sed ab una ripa ad aliam , etiam in benè latis fluminibus pertingant. Qvanvis hic primus Pons , duarum tantum Trabium longitudinis erit, qvæ non nisi à duabus partibus suas publicas habeant ; duobus enim capitibus in medio Flumine extensis, in aere suspensæ erunt, sustentatae ab alijs duabus Trabibus superioribus, qvæ frontibus aliquantum erectis, vna contra aliam nitentur, & duos Arietes cornibus pugnantes representant.

XXXI. *PONS LIGNEVS.*

**H**IC Pons est ex Trabibus duplicibus in arcum curvatis, atq; Securiclis ac ferreis fibulis colligatis . Habet autem pro majori firmitate, alias Trabes in inferiore sui parte ; qvæ vel recte distentæ , vel in Arcum contrarium aliquantulum devexæ , & ferreis itidem fibulis colligatae utrunq; caput Pontis continent, ne suo pondere actus,dilatetur & ruat .

*PONS*

XXXII. *PONS LAPIDEVS.*

**H**IC verò ex lateribus uel tupho commodè construi poterit: quo enim levior eo securior fuerit. In primis ab utraq; parte in ripis, solida fundamenta habebit, alijs fornicibus fulta. Deinde magnis ac crebris ferreis vectibus ab inferiori parte, utrunq; caput Pontis colligatum erit, uti hic est videre.

XXXIII. *PONS ATHENEVS.*

**I**STE Pons erit ex solido Aere, sive in arcum aliquantulum flexus, sive recta linea ductus. Sed dices in primis, multum aeris ad id opus fore, ideoq; magnarum impensarum futurum. Imò verò minorum qvām si ex lapide construereatur. At dices præterea, qva ratione tam ingens machina fundetur? Hoc ab ijs qvi Bombardas fundunt qværes: si ipsi nesciverint, tunc ad me venies. Hac eadem ratione, imò minori opera, poterunt fieri tecta, & tabulata, latissimarum Basilicarum, & Ecclesiarum.

XXXIV. *PONS FERREVS.*

**H**VNC Pontem ideo Ferreum denominavimus, qvod è duabus Turribus, in utraq; Ripa extrvectis, pluribus catenis ferreis suspensus, medius dependet. Turres autem suas Portas habebunt, qvæ ad Pontem viatores admittant, vel arceant.

XXXV. *PONS CANABEVS.*

**H**IC Pons ex duobus vel pluribus Rudentibus, ad binas Trabes, in utraq; ripa in altum erectas, religatis dependet; Vt autem rectus stet, & pondere commantium non incurvetur: funes qui ab illis Rudentibus dependent, pro libitu attrahi, & relaxari poterunt. Iste Pons est portatilis, & ideo commodus pro exercitibus.

XXXVI. *PONS VNIVS FVNIS.*

**A**B VNO Fune crasso, dependet Arca Trocleis alligata, & altero fune tenuiore attracta, eos qui fuerint in ea, ad alteram ripam sine ullo periculo trayiciet.

XXXVII. *TRAJECTVS BOMBARDARVM.*

**S**AEPE contingit ut Flumina qvæ erunt trayienda, vel nullos vel non solidos habeant Pontes, qvibus mayora pondera, uti sunt Tormenta bellica, transferri

transferri possint. Itaq; positis in altera ripa vna vel pluribus Ergatis, poterunt absq; mora per fundum fluminis attrahi.

### XXXVIII. NAVICULA AXILLARIS.

**H**AEC Machina, re ipsa non est Navicula, sed qvia vice Navicula ea uti possumus, ideo eam sic nominavimus. Hoc amplius autem præstat qvām Navicula, qvod Navicula possit facile e verti, & vectorem suum eyicere; in ista autem constitutus, neq; si velit mergi possit. Qvin neq; madefieri, etiam si talibus sit indutus: Præterea emisso vento, eam sub axilla deffere.

### XXIX. HOMO VOLANS.

**V**ELO quadrato, qvatuor æqualibus perticis distento, atq; funibus in qvatuor angulis appensis; homo absq; periculo sese de Turri, vel alio loco eminenti, demittere potest. Nam etiam si eo tempore nullus sit Ventus; ipse impetus hominis cadentis excitabit Ventum, qvi velum retardabit ne præceps ruat, sed pedetentim descendat. At commensurare oportet hominem, cum magnitudine veli.

### XL. NAVIS ADVERSO FLUMINE PER se procedens.

**D**VOBVS modis efficitur, ut Navis, sua sponte adverso flumine feratur, & tantò velocius, quantò impetuosior fluminis cursus fuerit. Vnus modus est, religare navim longo fune ad palum, in superiore parte fluminis fixum, qvò nempe Navis deducenda erit. Postea alterum caput illius funis, applicare Axim per transversum Navis posito, cui duobus Rotis aquaticis, ex utroq; latere acto, funis involvitur, & sic Navis attrahitur. Alter verò modus est, alligare Troleam ad palum, & longo fune trayecto, unum caput funis alligare Navi onerariæ, qvæ attrahitur, alterum verò caput naviculæ, qvæ duabus hinc inde valvis dispositis, & bene alligatis, excipiat impetum fluminis, & sic ipsa descendens, maiorem Navim sursum attrahat. Hunc motum navis, & illud Horologium Aqueum, à nobili & ingeniosissimo Viro Præside Lugdunensi Romæ accepi.

### XLI. MACHINA FUNDVM MARIS PURGANS.

**S**VNT uaria genera Machinarum, cuyusmodi præsertim Venetijs videntur, qvibus arena & limus ex fundo maris extrahitur. At hæ Machinæ, & tardæ sunt,

sunt, & non nisi ad sextum pedem fundum contingere possunt. Hæc autem nostra, in quacunq; profunditate maris seu fluminum, commodè suo perfundetur officio. Quanvis in fluminibus non adeò profundis, qui purgatione indigent, alia etiam Machina uti poterimus. Ea constat ex duabus Rotis aquaticis, Axi ex utraque parte adaptatis. Axis autem sit per medium navim transversim positus, uti in superiori Nave. Huic Axi applicanda sunt quædam magna coclearia, quæ fundum verrant, & sic limum seu arenam in altum tollant. Fluvius autem ea, antequam ex aqua prodeant, eluat & defluere faciat.

#### XLII. NAVIS FVND O APERTO.

**P**RO superiore Machina, quæ forcipibus quibusdam lutum ex fundo maris effert, invenimus Navim, quæ limum quem illa extrahet, ista subeundo excipiat, & in altum mare devehat, atq; absq; labore hominum, fundo aperto demittat, neq; tamen demergatur.

#### XLIII. MACHINA FVNES TORQVENS.

**M**A CHIN AE quibus hodie magni Funes torquentur, manibus hominum: non sine magno labore impelluntur, quia nulla arte, sed sola vi id perficitur. Ea propter hanc ego Machinam adinveni, quæ mea Rota calcatoria moveatur. Hucus Rotæ adminiculo plus unus homo efficiet, quam plures homines solis suis nixi viribus.

#### XLIV. SERRA DVPLEX.

**T**O TA vis Serræ in inferiore tractu consistit, Tunc inquam lignum scinditur, cum ab inferiore parte Serra attrahitur: Cum vero sursum fertur, nullum opus facit, sed vacua ascendit. Ideo nos duabus Serris, duas Perticas adaptavimus, quæ eas sua mobilitate vibratæ sursum attrahat; duo autem operarij, magna vi, in inferiori parte constituti, eas identidem detrahant. Hac ratione in silvis, ubi Trabes in Astres secantur, poterunt tot Serræ disponi & simul compingi, ut tanto tempore, totam Trabem in Tabulas findant, quanto nunc una Tabula scinditur.

#### XLIV. SERRA PRO LAPIDIBVS.

**P**O TERIT hac vel simili ratione, Machina erigi, quæ suppositos Lapidés, applicatis & motis cum impetu Ponderibus, Serras plures moveat, Serræ autem Marmora, seu quovis lapides scindant. Ista Pondera plus efficient, quam aliquot

aliquot homines, absqve alia arte attrahentes. Hoc idem poterit Aqva Fluvialis praestare, qvod pulcrè nuper in Vrbe Targonus ostendit.

#### XLV. *MACHINA AQUAM IN ALTVM IMPELLENS.*

**H**AEC Machina, uti vides, habet duos longiores Tubos, qvi ab inferiore parte Aqvam, aperta Valvula lignea sponte excipiunt. Descendentes autem in eos alij Tubi minores magni ponderis, corio ab inferiore parte muniti, cogunt aquam retrò cedere. Ipsa autem Aqua suo impetu claudit Valvulas, ita ut non possit eò unde venerat regredi, sed cogitur per illum longum Tubum ascendere; Is autem habet Lingulam, hæc aperta ad aquæ impetum, eam admittit, deinde suo pondere, (ex ære enim comflata esse debet) clauditur, & sic motu ponderum in altum aqua impellitur.

#### XLVI. *MOLA PRO IMPRESSORIBVS.*

**V**IDI tam Litterarum, quæ Tabularum & rearum Impressores, magno labore opus suum facere, neq; eodem semper modo; nunc enim melius, nunc autem deterius exprimunt, propter instrumentorum instabilitatem & virium inæqualitatem. Itaq; hanc ego Molam huic operi commodiorem inveni, qvæ cum sit in plano posita, etiam ab uno puero moveri possit, opus autem ipsum semper æquale exhibeat.

#### XLVII. *VNVS MVLVS PRO LECTICA.*

**D**VO Muli ordinariè, ad ferendam unam Lecticam applicantur, in qua duæ personæ vehuntur. Ego facio ut unus Mulus id præstet, applicatis ei hinc inde duabus Sellis gestatorijs. Qvas hic qvidem apertas posuimus, ut videantur sedentes; at commodiores erunt, si sint corio obductæ, propter aeris qvæcunque intemperiem. Sola Lectica putopræponderat, toto huic oneri.

#### XLVII. *MVLVS CVLINAM DEFERENS.*

**H**VIC Mulo alterum conyunxi, qvi dominum seqvatur, & præter vasā, panem, & vinum, ac alia qvæ ad victum sunt necessaria, ignem cum ollis bulbientibus tutè deferat. Ignis ac ollæ erunt in capsâ ærea positæ. Hæc capsâ ærea in alia capsâ lignea includirur. Habet autem capsâ utraq; fumarium à parte supe, riori, ab inferiore verò craticulam, per qvam cinis carbonibus combustis decidat.

XLVIII. SINGVLI BAYVLI PRO BINIS.

**Q**VOD duo Bayuli uno recte Pondus portare poterunt ; hoc nos ab uno eorum facilius portari facimus. Huyus rei duos modos hic ponimus .

## XLIX. CVRRVS PENNIS.

**C**VRRVS Pensiles, necessariò uel funibus, uel catenis ferreis, vel corijs duplicitibus librantur, ut moliter ferant insidentes. Ego verò veates ferreos reflexos supponerem, qvi sua mobilitate aperiantur, & claudantur, prout Arcus Basilistrarum aperiri, & claudi solent.

## XLIX. CVRRVS IN PRAECIPITIO POSITVS.

**C**V M Currus de alto, & præcipiti monte descendit, nisi posteriores duæ Rotæ alligentur, ita ut non vertantur, Currus in præceps ruit, eqyos ledit, & facile rrangitur. At Rotæ ita alligatæ, paciuntur multum à Saxis, & alijs impedimentis obvijs. Itaq; nihil tutius, qvam duos bene crassos ramos illis supponere, ne terram contingent, & sic Currus securè pedetentim ad inferiora deducetur. Hoc eodem remedio utendum est, qvum Rota in itinere rumpitur. Qvi plura huyusmodi inventa cupit, apud alios qværat. Reliquæ enim, qvæ nos habemus, alia quidem, qvia magni momenti sunt, alia qvia parvi, non esse publicanda ydcauimus.

F I N I S.

MACHI

# MACHINATIONES<sup>13</sup> N O S T R A E.

**M**O LAE qvæ varijs modis hactenus insolitis, à Ventis impelluntur.  
Molæ stabiles, qvæ fluminibus crescentibus & decrescentibus, à suo cur-  
su non impediuntur.  
Molæ Navibus impositæ.  
Molæ qvæ opera yumentorum & hominum manibus aut pedibus aguntur.  
Mola Ferrea portatilis, mayor sive minor, pro viribus unius seu plurium Operæ  
rariorūm.  
Mola seu Trapetum pro Oleis confringendis.  
Torcular pro Oleo, & Vino exprimendo.  
Ergata qvæ deficiente impulsore, retrò non redeat.  
Trabs artificiosa, qvater longior, longissimis trabibus naturabilibus, ad com-  
moditatem Ecclesiarum, seu Basilicarum tantæ latitudinis absq; intercolum-  
nijs tegendarum.  
Rudens per medium Fluvium tentus, per qvem qvicunq; sicco pede, absq; peri-  
culo transire possit.  
Pontes, qvi ab una ad alteram ripam Fluminis, absq; ullo fulciamento pertingant,  
qvinq; diversis modis, ac ex qvinq; diversis materijs fabrefacti.  
Pons ligneus in Danubio, ac omni alio Flumine, qvod glacie concrescit, qvem  
non Glacies, non alia qvæcunq; moles, qvam aqua deferret, sed sola caries  
demoliri possit.  
Triremis, qvæ facilius impellatur remis, qvam hodie fit.  
Navicula, qvam qvis sub axilla deferat, ac licet sit talari veste indutus, qvanvis  
magnum Flumen, securè transfretare possit.  
Navis oneraria, fundo aperto, per qvem exoneretur, nec tamen dehiscat.  
Machina qva in omni profunditate aquæ, è fundo limus seu arena extrahatur.  
Modus ne Tiberis sua exundatione Vrbem occupet.  
Fontes Aquæ vivæ, perennis, salientis, limpidæ, & dulcis, magnâ quantitate, Ve-  
netijs & alijs locis uiciniis.  
Magnam copiam Frumenti, per plurimos annos, illęsam ab incendio & humidi-  
tate conservare, Venetijs & omni alio loco.  
Aqvam multam in altum impellere, non magno labore.  
Bombardam Clavo impeditam, statim in usum convertere.  
Bombardam Clavo impedire, ne ea hostis uti possit.  
Bombardam adaptare, ne eam hostis clavo trayiciat.  
Bombardam ac Sclopum, s̄epius ac citius qvam fit explodere.  
Bombardam in montem excelsum, facili negotio attrahere.  
Bombardam ultra flumen, absq; Ponte seu Navi trayicere.

Rota Scopeti, sine Rota, sine Catenula & sine Clave.  
 Bombardam facili negotio disrumpere.  
 Pontem ex Trabibus aut Navibus, in aliquo Flumine constructum ; etiam propri-  
  gnantibus hostibus, absq; periculo, parvo tempore demoliri.  
 Portam qvancunq; absq; Pulvere igneo , perfringere.  
 Aggerem portatilem habere , qvi Exercitum tueatur.  
 Aggerem in Mari ac Fluminibus parare, duobus modis .  
 Currus armatus, tutus à Scopetis & alijs Telis.  
 Currus pensilis , absq; Corigis seu Catenis.  
 Curruim de monte præcipiti, pedetentim ad plana deducere ?  
 Curruim , si una vel duæ etiam Rotæ in itinere confringantur ; usq; ad diverso-  
  rium adducere.  
 Campanam magnæ molis, absq; magnis viribus agitare.  
 De loco quāvis alto deyici, nec lædi.  
 Serra Fluviaialis, qvæ octies citius qvām aliæ operetur .  
 Serra Marmoraria , qvæ Ponderibus impellatur.  
 Serra Manuaria , consuetis comodior.  
 Scala qvam qvis, absq; alterius auxilio, muro apponere & deponere possit , ac sub  
  axilla deferre.  
 Catena qva minore nisu qvām fit, aqua ex Puteo attrahatur.  
 Catena qva Flumina & Portus Maris occludantur.  
 Rudentes qvanvis longos & crassos, faciliore negotio qvām haec tenus, torquere.  
 Vt unus Bayulus facilis qvodvis onus ferat, qvām si adyutorem haberet, duobus  
  modis .  
 Vt unus Mulus, tam commodè ferat duos homines , qvām duo Muli lecticæ sup-  
  positi.  
 Qyodlibet yumentum, sub Sella seu clitellis exulceratum , in ipso itinere, onus fe-  
  rens , refanare.  
 Coquere cibos in dorso yumenti , in ipso itinere .  
 Aqvam igne calefacere , absq; qvacunq; Olla Elixare carnes , itidem absq; aliquo  
  vase .  
 Furnum extemporaneum in campo statim erigere.  
 Panem absq; ullo Furno coquere.  
 Frumento loco panis, commodè vesci .  
 Vt unus homo tantum Frumenti metat, quantum decem alij .  
 Vt tantum Frumenti Trituret, quantum alij decem.  
 Vt absq; Cribro melius qvām cum Cribro, purget Frumentum.  
 Vt tantum Farinæ secernat à Furfuribus, quantum decem.  
 Tectum planum ut inambulari possit, pro qvacunq; domo seu palatio, qvod om-  
  ni aeris intemperiei, etiam in regionibns frigidissimis, resistat.  
 Domus , qvæ vicinis flagrantibus , incombusta permaneat.  
 Cella vinaria , etiam in loco palustri, tuta sit ab aqua.

Vinum, ut plures annos incorruptum permaneat.


Horologium Igneum, Aqvēum, & Solare, qvod etiam Menses ac Dies ubique monstret.

Palatium pro Rege, Regulo, & Decurione.

Templum amplissimum, tamen absq; medijs pilis seu columnis; cœteris eyusdem magnitudinis duplo capatius : cum Campanili ac Sacristijs, optima simmetria ei incorporatis.



F I N I S.

2. FONTES VENETIAE



3 PONTES


IENNAE AVSTRIA.




4. ECLESIA SIBENICIA.



6. AQUATILE.




6. HOROLOGIVM OLARE.




6. IGNEVM.




7. MOLA FERREA.




7. HOROLOGIVM  
UNIVERSALE.







MOLA CVM BRACHII

TRIANGVLARIBVS




10. MOLÆ CVM ALVIS VERSATILIBVS.




II. MOLÆ CVM

TECTO MOBILI.





12. MOLÆ TURRIS


QVADRATA.




13. MOLÆ TURRIS ROTVNDÆ.




14. MOLÆ RIVVLORVM.






16. MOLA AD

RVTEM PPENSA.




17. MOLÆ IN FRETO


MARIS POSITÆ.



18 MOLÆ CVM DVOEVIS PONTONIBVS.




19. MOLÆ VNI PONONI IMPOSITÆ.




AQVA TILIS

20. ROTA




21. MOLÆ

ASINARIAE.




22. MÆ CVM


PONDERIBVS.




23. MOTAT CVM R



24. MOLA OLEAA.





24. MOLA OLEA.




VINO ET OLEO.

23. PRÆLVM F



26. MODVS


CANDI FRVMEN TI.




26. MODVS EXCVTIENDI




27. MODVS P GANDI FRVMENTI.




28. MODVS SECERNENDI FARINAM.




28. MODVS CIBRANDI FRUMENTI.



29. MODI TUNDENDI PTISANAM. &c.




29. PISTILLVM PENDENS. A.




29. MOLA TRVSATI LIS. B.


30. PONS DVARVM TRABIVM.




31. PONS LIGNEVS.



32. PONS LAPIDEVS.




33. PONS AREVS




34. PONS FERREVS






39. PONS CABEVUS.



36. PONS VNIUS FUNIS.










38. HOMO VOLANS.


39. NAVICVL. AXILLARIS.




40. NAVIS ADVERS FLUMINE PROCEDENS.





41. MACHINA FVNDVM MARIS PVRGANS.




42. NAVIS FVND APERTO.




43. MACHINA FVES TORQVENS.



44. SERRA DUPLEX.




44. SERRA PRO LAPIDIBVS.




43. MACHINA


AQVAM IN ALTV



IMPEL.  
LENS.




46. MOLA PRO IMPRESSORIBVS.




47. VNVs MVLVS PRO LECTICA.



47. MVLVS CVLINAM DEFERENS.



48. SINGULI BAYLI PRO BINIS.



48. CVERVS PENSILIS



49. CVERRVS IN

PRÆCIPITO POSITVS

